

Nf. 24.





ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
PRORECTOR,  
**IOAN. FRIDEMANNVS**  
**SCHNEIDERVS,**

I. V. DOCTOR,  
POT. BORVSSIAE REGIS CONSILIARIVS AVLICVS,  
ET LOG. METAPH. AC ETHICES ORDINARIVS, NEC NON  
IVRIVM EXTRAORDINARIVS PROFESSOR,

VNA CVM  
**DIRECTORE, CANCELLARIO**

AC  
**PROFESSORIBVS RELIQVIS,**  
CIVIBVS ACADEMICIS,

AD DIGNAM  
**FESTI PENTECOSTES**  
CELEBRATIONEM,

PIAM MEDITATIONEM  
*IN LOCVM PAVLI 1 Cor. III, 16.*

*by.*

DE  
**TEMPLO DEI A SPIRITV S. INHABITATO,**  
COMMENDAT.







## Agni ponderis sunt illa

Pauli verba ad Corinthios epist. 1. c. III, 16. *An nescitis, vos esse templum Dei, & Spiritum Dei habitare in vobis?* Quorum sensus cum ad eo sit evidens, vt sine interpretis opera ab idoneo lectore possit in-

telligi, pro interpretatione digna requiritur applicatio; in primis hoc temporis articulo, quo ecclesia Christi in anniuersaria festi Pentecostes celebratione pie occupata est. Quod applicationis negotium vt eo facilius succedat, CIVES CARISSIMI, ecce Vobis isagogen aliquam; isagogen, quæ, quanta doctrinarum copia oraculo isti Paulino insit, per diuersorum generum, & iustæ consequentiæ, consecraria, ea sermonis tela, quæ per aphorismos interrupta est, exhibeat.

### *Porismata didascalica.*

1. Deum esse *Spiritum*; hoc quidem agnoscimus e lumine naturæ; sed esse *Spiritum Dei* eiusmodi, qui sit ipse Deus, & simul certa diuinitatis hypostasis, ab hypostasi Patris & Filii distincta; hoc est, quod naturæ luminis lateret; ideoque illud imperfectum est, ad salutem haud sufficiens.

2. Re-



2. Religionem christianam non esse rem ingenii humani, sed diuinæ originis ac reuelationis, inter argumenta innumera, inde etiam liquet, quod continet tam sublimia fidei mysteria, quæ quidem rationi nequaquam repugnant; at eius tamen aciem quam longissime transcendunt, ita vt nullus excogitationi locus in illis fuerit relictus. Cuius generis hoc est de *Deo* & eius *Spiritu*, tanquam diuersa diuinæ essentia hypostasi.

3. Spiritum vero sanctum esse veram diuinitatis personam, hic manifestum est ex hac proprietate eius personali, qua is dicitur homines ad Deum conuersos, tanquam *Dei templum, inhabitare*: id quod proprie personarum esse, nemo nescit.

4. Et Spiritum Sanctum esse *verum Deum*, etiam ex eo cognoscimus, quia e *Spiritus Sancti habitatione templum Dei* dicimur; ita vt synonyma sint, esse templum Dei, & esse templum Spiritus Sancti inhabitantis.

5. Præter naturam Spiritus Sancti diuinam & eius modum subsistendi personalem, in hoc oraculo etiam agnoscendum est eius officium, quod est fidelium *inhabitatio & relectio*, gratiæ plenissima: ad quam quo ordine Spiritus Sanctus procedat, Corinthiorum ad Deum facta conuersio indicat.

6. Ecclesiæ Iudaicæ *templum* fuit *typicum*, & representauit regnum Messia, in quo omnes fideles sunt spirituale Dei templum.

7. *Cultus* Dei genuinus, secundum noui fœderis indolem, maxime est *spiritualis* & internus, *templi mystici* nature conueniens; externa tamen pietatis exercitia, tam publica, quam priuata, simul non admittens solum, sed requirens etiam; quemadmodum ecclesiæ Corinthiacæ facies ostendit.



8. *Cultus Dei* in N. T. non est adstrictus ad certos temporum articulos, certis horis definitos, sed est *perpetuus*; quia Christiani sunt Spiritus S. templum, quod is non *visitat*, ita ut visitatum relinquat, sed, tanquam Dominus, constanter inhabitat.

9. *Esse Dei templum*, & a Spiritu Dei inhabitari, est summa, eaque omnibus ac singulis æqualis, christianorum *dignitas*, eos mirum in modum nobilitans.

10. *Sacerdotium* in œconomia novi fœderis est *spirituale*, templo eiusdem spirituali conueniens; ideoque diuersum a publico verbi ministerio; utpote quod spiritualis istius templi structuræ inseruit, eiusdem sacerdotium mysticum procurans.

11. *Sacerdotium* christianorum spirituale est *regium*; quemadmodum expressa Petri littera habet ep. 1. c. II. v. 9. quia fideles a Deo, rege suo, inhabitantur, inhabitatione hac in ipsam dignitatem regiam euecti.

12. Plane diuinus, isque duplicatus, religionis christianæ character est, primum in effectu isto plane diuino, quo Corinthii ex officinis & instrumentis satanæ facti erant templa Dei sancta: deinde in ea christianorum beatitate, cuius centrum est in ea cum Deo *communione*, quam beatissima eius *inhabitatio* indicat.

### *Porismata pædeutico-epanorthotica.*

1. Ut *notitia* nostra sit maneatque practica, pia applicatione feruens, identidem egeamus *excitatione*, & propria & aliena, qua auribus animisque nostris infonet Paulinum istud: *Nonne scitis?* Seruum enim, qui heri sui voluntatem nouit, at negligit, bis vapulare, non ignoramus.

2. Di-



2. Digna vero nostri excitatio sinceram requirit explorationem, vtrum *templa Dei* simus, nec ne?

3. Non parum errat, qui *inhabitantem* Spiritus Sancti gratiam ab *adsistente* ita distinguit, vt existimet, hanc esse saluam, & ad ministerium Spiritus sufficere sine illa, immo illa etiam per contumaciam morosam neglecta ac reiecta. Nec enim eiusmodi nude adsistentis gratia vel in Corinthiis, vel in ipsorum doctoribus, vestigium vllum deprehendimus.

4. Quicumque fieri optat idoneum Spiritus Sancti *instrumentum*, inprimis id agat necesse est, vt fiat Spiritus Sancti *officina*, quam is, vt templum suum, occupet & inhabitet, ita vt non solum *per illud*, sed simul etiam *in eo & ex eodem*, operetur.

5. Quicumque hoc Pentecostes festum digne vult celebrare, operam det, vt templum Spiritus Sancti fiat, aut iam factum inhabitanti Spiritui Sancto, seu interiori eius disciplinæ, vacet.

6. Ea demum genuina est *templi externi*, cultui Dei publico dicati, frequentatio, quæ fit ab illis, qui sunt, aut fieri volunt, *viua Dei templa*. Nisi enim hac ratione fit *templum in templo*, cultus externus, interno destitutus, Deo est abominabilis.

7. Genuina pietatis praxis non est transitoria & defultoria, sed *constans & fixa*, fixæ Spiritus S. *inhabitationi* conueniens. Nec enim Spiritus Sanctus est *hospes* aliquot horarum, aut dierum, sed *inhabitor* permanens.

8. Qui suam christianismi praxin non deriuat ex *inhabitante* Spiritus Sancti gratia, pro rei christianæ anima amplectitur eius crustam Pelagianam, in naturali corruptione subsistens.

9. Spiritus Dei cum *spiritu mundi* in homine est *δού-*

)( 3

σατος.



σας. Est enim Dei Spiritus hominis *inhabitor* eius-  
modi, qui, tanquam ipsius Deus, eum sibi totum vin-  
dicat.

10. Qui huius, aut illius, peccati ac prauæ consuetu-  
dinis illecebra tentatur, inprimis in feriis hifce Spiritui  
Sancto sacris, existimet, sibi dictum esse illud Pauli: *An  
nescis, te templum esse*, certe esse debere, *Spiritus Sancti*,  
ab ipso inhabitandum?

11. Quicumque voluptatibus se permittit constrin-  
gendum, is *templum* Spiritus Sancti ita *profanat* perdit-  
que ac destruit, vt illud conuertat in delubrum satanæ,  
ideo a Domino, templi sui vindice iustissimo, *perdendus*,  
secundum verba oraculi posterioris v. 17.

12. Iniuria piis illata infertur ipsorum Domino, qui  
eos pro *templis* suis, de iure inuiolabilibus, agnoscit, in  
eorum violatores grauissime animaduersurus.

### *Porismata paracletica.*

1. Quid trepidas, anima afflicta? quid mcerore te  
excrucias? *An nescis, te esse Domini templum?* Quod si  
templum Dei es, & de eo tamen dubitas, criterium istius  
rei certissimum habes in Spiritus S. inhabitantis re-  
ctione, cui te obsequenter permittis.

2. Quicumque hæsitat, de sua in fide perseverantia,  
& de salutis suæ certitudine fluctuans, missa dubitatio-  
ne omni nouerit, se esse *templum Domini*; Domini, tem-  
plum suum non visitantis solum, sed *inhabitantis* etiam,  
ita vt illud nunquam sit deserturus.

3. Quod si aliquando ea tibi afflictionis fors obie-  
nerit, vt nullum habeas *templum externum*, quod puro  
Euangelii præconio resonet; bono esto animo, non ne-  
scius,





scijs, te esse templum sine templo, *templum ipsius Domini.*

4. Si vitæ huius caducæ bonis cares, aut iis privaris; animum ne desponde. Possides enim intra te *regnum Dei*, factus eius *templum*, templo Hierosolymitano, quod tantum opes typicas habuit, multo opulentijs, ab ipso Deo inhabitante ditatum & exornatum; templum, quod sensu evangelico arcam fœderis aliaque vasa sacra, divino cultui, in spiritu & veritate talidicata, inprimis evangelica precum thymiata, habet.

5. Quia Dei Spiritus animam *inhabitat*, eamque ad vitam æternam digne adeundam præparat, de beatissimo eius ad istam transitu non est dubitandum.

6. Et quis in dubium vocaret futuram *corporum* restitutionem, cum hæc ipsa etiam, intercedente anima, in pijs fuerint *Spiritus Sancti templa*, ob eius inhabitacionem quam certissime resuscitanda? Confer Rom. VIII,  
II.

Hæc sunt, **CIVES FLORENTISSIMI**, quæ, quam fœcundum doctrinis sit substratum Pauli dictum, vel vno conspectu ostendunt; at propria vniscuiusque meditatione excolenda, piaque applicatione intra animum digerenda; præcipue sacris hisce feriis. Et cum non solum scripturarum pandectæ permagnam nobis copiam exhibeant oraculorum, quæ eiusdem sunt *devotissimas*, ex parte etiam eiusdem argumenti; & acroateria sacra iisdem etiam frequentius perfonitura sint: quid vestri sit officij, facile intelligitis. Agite igitur, quod agendum est. Eiusmodi dicta, tanquam pulcherrimos veris hortique evangelici flosculos, *eis odoribus evadidas*, in odorem bonæ fragrantæ, adhibete, vel ipsa verni huius temporis amœnitate, ac florido eius proventu, admoniti.



niti. *An nescitis, vos templum Dei esse, & Spiritum Sanctum habitare in vobis?* Vos scilicet, quibus ipsa Spiritus Sancti rectio indubitatum status gratiæ pignus exhibet. Parta donataque tueri & bene collocare, vestrum est. Igitur solícite cauetes, ne Spiritum Sanctum, quo ad spem futuræ liberationis, viam obsignati estis, vlllo vel dicto, vel facto, contristetis, gratia eiusdem imminuta, nedum excussa. Qui vero, animæ ac salutis suæ cura peruicaciter posthabita, Spiritus Sancti templum, quod vi gratiæ in baptismo collatæ factus erat, animi impietate ac vitæ ἀναξία ipse violauit, immo destruxit, nec de eiusdem instauratione laborat, *hunc Deus destruet*; quemadmodum grauiissima Pauli comminatio in eodem loco perhibet. Quare beatos prædicamus illos, qui, & hoc nostro προσφωνήματι excitati, per ferias hæcæ sacras, immo per omnem vitam, præcipue academicam, quæ vitæ litteratæ omnis quasi centrum est, spiritualis templi sui curam sibi habebunt commendatissimam.

P.P. in Acad. Fridericiana in festo Pentecostes.  
anno M DCC XXVI.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ

Typis CHRISTIANI HENCKELII Acad. Typogr.





Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78









74

VS

CVS,  
ON

IO

by.

ACADEMIAE  
 PROR  
 IOAN. FR  
 SCHNE  
 I. V. I  
 POT. BORVSSIAE REGIS  
 ET LOG. METAPH. AC ET  
 IVRIVM EXTRAOR  
 DIRECTORE,  
 PROFESSORI  
 CIVIBVS  
 AD  
 FESTI PEI  
 CELEBI  
 PIAM ME  
 IN LOCVM P  
 TEMPLO DEI A SPI  
 COM

